Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-45244-p0001-9

HONORI ET VIRTUTI

CELSISSIMI, ATQUE ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, DOMINI

BERNHARDI, SENIORIS

DUCIS SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ, ET MONTIUM, LANDGRAFII THURINGIÆ, MARCHIONIS MISNIÆ, COMITIS MARCÆ ET RAVENSBERGÆ, DYNASTÆ IN RAVENSTEIN,

DOMINI MEI CLEMENTISSIMI,

Cum is

Cal. Martii

Anni æræ Dionyſianæ M. DC. LIV.

publicè

Magnificentiſſimus Academiæ Jenenſis

RECTOR

renunciaretur

Sacrum hoc fecit

DANIEL LIPSTORPIUS, Lubecenſis.

A. L. M. Sereniſs. Saxoniæ Ducis GUILIELMI p. t. Mathematicus Aulicus, ejusq; Junioribus Principibus Dn. BERNHARDO, & Dn. FRIDERICO à ſtudiis præpoſitus.

JENÆ,
Literis GEORGII SENGENWALDI.

VIx me Pierii potatum flumine fontis
In tantos laudum cumulos, æquorve decoris
Immenſum, plauſumque ſcholæ, ſtudiumque Senatus,
Et ſtrepitum populi, trabeas, faſcesque verendos
Ferre pedem mens tarda jubet, pectusque labante
Ingenio detrectat onus; tamen ardua virtus
BERNHARDI, capitis noſtri, BONA VERBA meretur.
Et trahit in laudes calamum. Succedite Muſæ,
Et calidas ſpirate faces, vatique liquorem
Nectareum, ſacrosque animis infundite motus.

Hîc ſchola clara jacet, caput inter nubila condens,
Juſſa laboriferis tribuens nunc otia Muſis,
Jenenſem dixêre Patres. Quocunque merentur
Teutonicis Muſæ clareſcere nomine terris,
Hanc ſolam opponas. Si quædam clara duellis
Sacris; Hæc validis transverberat ictibus hoſtes,
Hoſtis Romani vehemens, cenſorque Baalis.
Si qua eſt nominibus Magnorum clara Virorum;
Hæc veluti Tarpeja domus, Fabiosque, Camillosque,
Intrepidos Paullos, dura ſub lege Catones,
Eloquioque Viros Ciceronis verba minantes
Protulit. His conſtat pernobilis ordo Senatus.

EX illo RECTOR decreverat ipſus abire,
Eximium caput, & cœli mirabile donum,
Deſolans viduumque forum ſine judice reddens.
Continuò miſerata nefas Aſtréa pudicum

Præ-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-45244-p0003-0

Prævelata caput ſe mittit ab æthere ſummo,
Et picturato liquidum ſecat aëra caſu:
Et licet in canas jam brumæ ſparſerat alas
Frigus, & albenti nive camporum æquora ſtabant;
Floribus ambroſiis ſubitò tamen humida tellus,
Sangvineisque roſis, verno & mutatur honore.
Illa per anfractus mediis ſe Patribus infert,
Atque altum ſpirans circumvallata Senatu
Incipit: O noſtræ chariſſima portio laudis,
Servator juſti populus, cum priſca ſcholarum
Nunc ſancita caput veſtrate ex orbe vocârint;
Ergo animos mecum tantùm deflectite ad illud,
Cui virtute pari defuncti ferre velitis
Atque Scholæ molem, atque immenſi juris habenas.
Si mea vel veſtræ ſedeat ſententia menti,
BERNHARDUS Princeps, mira virtute renidens,
Delicium populi, & veræ pietatis alumnus,
Et ſoboles celſi VVILHELMI clara Parentis,
Principis è ſtirpe, & Magni cognominis hæres,
Unus erit faſces, & rerum ſceptra ferendo.

Huic Natura dedit veteris veſtigia recti,
Et mentem certam legem ſine lege tenentem.
Quid referam ingenuos ſervato pondere mores?
Quis vigor in membris? quàm nulla in mente ſenectus
Nec venale forum? quantus lepor inſitus ori?
Quàm fidè *curat* Patriæ ſpes *eſſe quod audit?*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-45244-p0004-6

Ergò ſydereum fas illum ducere nomen.
Dixerat: Aſſenſu poſtquam Patrum annuit ordo,
Illa per aëreas volat irrevocabilis oras,
Juſtitiæque caput florens *Salana* reſervat.
Interea vaſtis populus clamoribus urbem
Pervolat,& plauſu tonat undique concordanti:

Vive Pater Patriæ, vivas ſanctiſſime Rector,
Te pax blanda colat, Pietas Tibi rideat inſons,
Et ſubitò fractis concordia luceat armis,

FINIS.

Wc 2584
4°

ULB Halle 3
004 969 014

VD17
M. C.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-45244-p0006-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-45244-p0007-2

Vix me Pierii potatum flumine fontis
In tantos laudum cumulos, æquorve decoris
Immenſum, plauſumque ſcholæ, ſtudiumque

Et ſtrepitum … verendos
Ferre pedem … ue labante
Ingenio detr … rtus
BERNH … NA VERBA meretur.
Et trahit in la … Muſæ,
Et calidas ſpi … n
Nectareum, ſ … motus.

Hîc ſchola … ila condens,
Juſſa lab … Muſis,
Jenenſem dixê … erentur
Teutonicis M … ris,
Hanc ſolam … duellis
Sacris; Hæc … s hoſtes,
Hoſtis Roma … alis.
Si qua eſt non … irorum;
Hæc veluti Ta … Camillosque,
Intrepidos Pa … s,
Eloquioque … antes
Protulit. His … atus.

Ex illo REC … ire,
Eximium … um,
Deſolans vidu … eddens.
Continuò miſ …

Præ-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-45244-p0008-8